



Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

2. Soli Episcopi Alectensis, & Apamiensis causam sustentant ab alijs metu desertam, quod ipsorum testimonijs ostenditur. Apamiens. exilium, & mors.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

perditæ Libertatis! *Capi, vinciri volumus, & hoc ipsum chirographo testamur; id tantum scribite, liberos nos esse.* Recusarunt alij, sed tamen Capitulis suis permisere, ut Regaliæ subscriberent; perinde ac si nulla Pastoris culpa esset, si ejus non imperio quidem, sed permissu oves errassent; (a) si enim Regaliam suis Ecclesijs imponi justè crediderant, cur ergo ipsi abnuebant? si injustè, cur, ut Canonici id facerent, patiebantur? Enimverò non minus in animum, quàm militum Ductore eadem, parisque momenti culpa est, facere, & non prohibere, cum possit. Sed Regalistarum importunitas Beneficia, fructusque raptantium effecit, ut qui istorum gratificationibus liberari vellent, jugum subirent, fœdâ quidem, sed utili servitute.

II. Duo tantum Episcopi Regijs Edictis obnixi sunt, Aletensis videlicet, & Apamiensis; & primò quidem omni reverentiâ, & obsequio certatum est, demonstratâ Ecclesiarum immunitate, quam & Concilij Lugdunensis auctoritas, & annorum supra quadringentos decursus firmaverant: sed cum in aula non rationibus, sed imperio ageretur, & soli ipsi certarent, reliquo agmine aut victo, aut composito, nihil effectum est: nec ideò cessere; nunquam enim adducti sunt, ut subscriberent, imò vibratis censuris, edictisque propositis procul Regalistas arcebant: Romam etiam inclamarunt, commune Episcoporum asyllum, cum periclitantur. Sed quid facerent soli? imò hoc illis crimini dabatur, quòd causam ab omnibus desertam soli sustinerent. Ergo omni malorum genere exerciti, nullâ ætatis, quæ jam provecta erat, nullâ virtutum, quæ præcipuè florebat, nullâ dignitatis reverentiâ; nec alterius culpæ postulabantur, quàm quòd Ecclesias suas, ab hominum memoria, & decreto Concilij Lugdunensis ac ipsorum Galliæ Episcoporum testimonio liberas, nollent in servitutum rapi; imò nec poterant velle, quippe Concilio Lugdunensi enixè id ipsum vetante: quid ergo facerent? Regi potius, an Concilio obedirent? omnino sic illis visum, quibus delitiæ, & quies, ac Principis gratia præ Libertate fuit: nec quid Ecclesijs, ac cœlo, sed quid mundo deberent, cogitantibus: quid ergo facerent, si secures, & flammæ, & alia tyrannorum instrumenta sævirent? illi sanguinem funde-

(a) M. de Pamiers fol. 177.

rent, qui vocibus pepercere? & Neronibus, ac Decijs veritatem edicerent, ante Regem Christianissimum muti, pavidique? agnovisse enim Galliæ Episcopos, nullo jure Ecclesias gravari, soloque offendendi Regis metu, Regaliam admisisse, ipsorum confessione, & litteris Innocentij Summi Pontificis, palàm est, sic enim loquitur: (a) *Animadvertimus litteras vestras à metu ordiri, quo suasore nunquam Sacerdotes Dei esse solent, & in ardua, & excelsa pro Religione, & Ecclesiastica libertate vel aggrediendo fortes, vel persiciendo constantes: timuistis ergo, ubi non erat timor, &c. Et infra. Nobis excusationem allaturi rerum à vobis actarum exaggeratis periculum, ne Sacerdotium, & Imperium inter se colliderentur; proinde existimasse vos, ad officium vestrum pertinere utili condescensione Canones temperare; proinde vos jure vestro decedentes, illud in Regem transulisse. Hic planè agnoscunt Galliæ Antistites, non potuisse Regaliam universim, & ad omnes Ecclesias extendi, nec istud ad Regni, & coronæ jura, ut aulæ videbatur, pertinere; alioquin nec dispensare illos, nec jure suo cedere oportebat; nemo enim jure alieno cedit: nec Reges, ut jure suo utantur, dispensatione egent.*

Illud mirum fuit, nec hactenus auditum, ut Episcopi in causa dispensarent, tot, ut supra vidimus, Concilij, & ultimo Lugdunensi prohibita. An ergo potestas illis est, Decreta Conciliorum universalium solvendi? & qui Pontificem Romanum Concilij subesse volunt, ipsi Concilij se præferunt? dispensatio enim ad Superiorem pertinet.

Nec alia in re tanti momenti dispensandi causa, quàm vanus offendendi Regis metus, & præclara illius de Ecclesijs merita. Regem ergo injustum faciunt, impiumque, qui justitiâ, & veritate offendatur, nec Antistites ferat officij sui, ac juramenti memores; supponunt ergo Regem ignaviâ tantum, & adulatione, ac sacrilegio placari, quo nihil indignius de Rege tam justo, tot virtutibus, ac facinoribus claro dici potest. Neque hoc remunerari Principem fuit toties de Ecclesijs, & bene meritum; non enim remuneratur, qui perdit blandiendo; illud potiùs remunerari erat, si errantem revocassent, ostenso præcipicio, in quod perversis consilij agebatur, tenuissent lapsurum: nisi fortè tanti Regis animam minoris, quàm corpus, & sanitatem ducant, negligantque curare, quia

(a) Breve Innoc. XI. ad Galliæ Episcopos Anno. 1682. die II. April.

quia aeternitati perituram. Quanta Davidis in Regnum, & Ecclesiam merita? num ideò celari adulterium, & conniveri homicidio debuit? num pœnæ abscondi, ne quietum, & securum turbarent? imò quia amabat, quia fidus erat, & gratiam bene merenti referre properabat, ideò explicatè, impavidèque monuit Propheta, terruitque lethargo periturum: *Tu es, inquit, ille vir: Uriam percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon; quamobrem non recedet gladius de domo tua in aeternum, &c.* Idem spiritus, idem amor, & libertas Joannis Baptistæ fuit: bene Herodes de illo merebatur, qui libenter dicentem audiebat, & eo audito multa faciebat. Num ideò incaestu, & adulterijs scædo pepercit? aut non potiùs rogavit, monuit, ac tandem cum aures flagitio clauderentur, nullo Regis, nullo meretricis metu, amore, ac potentiâ ferocis, quantâ potuit voce inclamavit pereuntem: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Non ergo benemeritos remunerantur, qui connivent, præbentque nocitura, sed qui negant. Sed nec minùs admirari illas voces, aut horrere juvat, cum dicunt: *Jure nostro decedentes illud in Regem contulimus.* Vos ergo Ecclesiarum, quæ vobis creditæ sunt, arbitri, & Domini, non custodes, & tutores estis? earumque jura, ac privilegia, ut metus aut cupiditas fuerit, in alios transfertis? hoc nimirum jurastis, cum infu- las acciperetis, & vos mortem potiùs subituros, quàm, ut Ecclesiae libertatem proderetis, spondidistis? Quo ergo jure transferre potuistis, quæ nec vestra sunt, nec vobis commissa alijs donanda, sed tantùm custodienda? Vobis ergo, vestræque voluntati Concilia, & Canones subsunt, imò fides, & juramenta, & Ecclesiarum Libertas, ac disciplina, quam, ut libuerit, Principibus, & Laicis submittitis, ac interim Romanum Pontificem tam indigna respicientem, per Conventus, & Decreta monetis, ut Canones custodiat. Ergo, ut dixi, reliquis omnibus terga vertentibus soli Alestenfis, & Apamiensis Episcopi in acie perstiterunt, & quòd causam Ecclesiae impigrè suscepissent, omni ærumnarum genere vexati sunt, Rege aut ignaro, aut falsis eorum criminationibus, qui privati studijs agebantur, prævento; nam Jansenismi, novarumque rerum, & contemptæ Majestatis accusati sunt, cum tamen non aliâ culpa laborarent, quàm quòd nollent novæ servituti succumbere, nihilque

æque

æquè illos angebat, quàm quòd viderent, Beneficia titulo Regaliæ perinde ac si Ecclesia vacasset, indignis conferri; quæ pœna nova omnino erat, & nunquam audita: nec tam Episcopos, quàm Ecclesias, Deumque spectabat, ingenti animarum clade. Quippe Episcopus Apamiensis Canonicos suos sub Regula D. Augustini ad illud vitæ genus reduxerat, quod in primitiva Ecclesia olim florebat, abdicatis videlicet patrimonijs, & nullâ temporalium curâ. Toti ergo in animarum salutem, & virtutes incumbebant eâ professione dignas; nec major alibi, quàm in ea Ecclesia ardor sanctitatis. At verò Antistite rebus suis spoliato, alij ex delectu Regij Confessarij catervatim irruerant, non animarum, sed honoris, quæstusque avidi, quique assumptâ tesserâ, *bilaris societatis*, ludis, epulisque, & amatorijs cantibus noctes ducebant, ac illis ipsis, qui eos delegerant, pudori erant. Ergo, ut dixi, nova hæc, nullisque sæculis audita pœnâ non tam Episcoporum culpæ, si quæ fuerant, quàm Ecclesiæ plectebantur, & majori animarum, quàm facultatum damno; crevitque malum Episcopi morte. Is ærumnis confectus est, cum prius ad Regem litteras dedisset, quibus rogabat, monebaturque, pulcherrimo Libertatis & reverentiæ temperamento.

III. Expletis funebribus, & corpore in sepulchrum illato, Capitulum convenit, & Vicarios Generales, dum novus Episcopus optaretur, Daubaredum, & P. Rech elegere. Daubaredus cum Archiepiscopum Tholosanum convenisset, humaniter acceptus est, permittisq; officio fungi: datæ etiam ad Regalistas litteræ, quibus monebantur, ut contenti proventus accipere, sacris officijs in Ecclesia Apamiensium abstinerent, ne materia novis tumultibus præberetur: quod cum illi neglexissent, adessentque Vesperis, Daubaredus defuncti Antistitis vestigijs, & exemplo inhærens, censuris obstinatos perstringit, nec multò post exilium illi, & carceres decreti, imperio Regis. Eadem fortuna Recho fuit. Is ad Aquas Augustas (vulgò Acqs) relegatus haud procul Burdigalâ; quò cum pervenisset, ad carceres raptus est à Præfesto Aquitaniæ, tamque inclementer habitus, ut ne panis quidem suppeteret, præter buccellas à militibus mendicatas. Cerles Capituli electione Daubaredo susceptus est; sed isto velut usurpatæ potestatis ab ijs

M

accusato,